

109

THESES POLITICAE
DE
SOCIETATE
IN GENERE

Quas
Inclytæ hujus Facultatis Philo-
sophicæ benevolo indultu

Die April.

IN NOVO PHILOSOPHORUM
AUDITORIO

examinandas proponent

PRÆSES

M. PAULUS BERGMAN

Et

T 160

RESPONDENS

JOHANN FRIDERICH GÖTZE
Northeimia-Calenbergicus.

HELMESTADI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXVI.

THESES POLITICAE
DE
SOCIETATE
MAGISTRORUM

Insuper hujus Societatis
Institutiones
et Nova et Vetera
Additione

M. PAULUS BERGMANN

RESPONDENS
JOHANN FRIDERICUS GÖTZE
Notarius-Catholicus

Wittenbergi
Typographi
Johann-Wolfgang
Johann-Wolfgang





§. I.

Societatis Vocabulum est ex numero illorum, quæ uni primariò, alteri verò & reliquis secundariò competere solent. Primariò societas appellatur, quæ honestum sectatur & legitima est: secundariò autem quæ tantum, exclusâ honestate, utilitatis & jucunditatis gratia contrahitur, qualis societas est latronum, seditiosorum, furum &c.

§. 2. Descripturi ergo Societatem maximè illam respicimus quæ honesta est & legitima, diciturque nobis *conjunctio quarundam personarum ad eundem finem.*

§. 3. Doctrina hæc de Societate in genere ad novem præcipua capita revocari potest ut agatur (1) de Origine Societatis (2) de ejus subjecto (3) objecto (4) forma (5) fine (6) de iis, quibus Societas conservetur & corrumpatur (7) quando finiatur (8) de differentiis Societatis & demum (9) de ejus Opposito.

§. 4. Cùm homo nascatur nudus, multarum ac variarum rerum, quas solus parare non potest, indigus, indidit natura homini appetitum, quo in societatem, tanquam medium sublevandi indigentiam hu.

am humanam, fertur. In genere igitur Societates à natura sunt & inde homo vocatur *animal natura sociale Arist. 1. Pol. c. 2.* Hominem verò hanc vel illam societatem, cum hoc item vel illo inire, ab instituto & voluntate hominum est. Sunt itaque Societates partim à natura, partim ab instituto & consensu humano.

§. 5. Subjectum Societatis, seu qui contrahere illam possunt sunt homines, quippe qui rationis capaces, finem Societatis cognoscere possunt. Illi igitur hominum, qui rationis usu planè destituuntur, ut sunt furiosi & male sani, à societatibus ineundis plane arcentur, minimùm ad eas colendas minus apti sunt.

§. 6. Ob hanc rationem à societate etiam excluduntur bruta. Quod si autem illa societatem quandã colere videntur, id conjunctio & instinctus merè naturalis potius, quàm Societas dicenda est. Bruta enim sensum quidem habent, sed parum in se reflexum, in quo ipsa ratio consistit.

§. 7. *Socius sui ipsius Socius non est, sed alterius dicitur L. 10, ff. pro socio.* Ex quo patet ad omnem societatem minimùm duas personas requiri. Unus quidem totam societatem referre & repræsentare potest, sed non constituere. Quot autem personæ præcisè ad societatem requirantur determinari uni-
versa-

verſaliter nequit. Illud certum eſt pluralitatem ſo-
ciorum ſæpius diſſolutæ ſocietatis cauſam extitiſſe.
Ratio conſtat, quoniam pluralitas ſociorum diſcor-
diis occaſionem facile præbet.

§. 8. Aliud autem eſt homines ſocietatem co-
lere poſſe, & aliud hunc hominem poſſe hanc ſo-
cietatem inire. Ad poſterius enim præter rationis
uſum requiritur aptitudo ad procurandum finem
ſocietati præfixum, qua aptitudine qui præditus non
eſt, is ejuſmodi ſocietatem inire nequit. Probè
itaque hæc duo diſtinguenda ſunt.

§. 9. Quinam ſocii potiffimum eligendi, illi
nimirum, qui ad finem ſocietatis efficiendum
magis idonei & aptiores exiſtunt generaliter qui-
dem admodum facile dictu, in applicatione
autem ad hoc vel illud ſubjectum perquam diffi-
cile eſt. Summa igitur prudentiâ hic opus eſt, quæ
non ſemper divites, neque ſemper imbecilles &
pauperes eligendos eſſe docebit. Etenim poten-
tiores viribus ſuis freti imbecilliores facile ſpernunt:
imbecilles autem non multum auxilii nobis adfer-
re poſſunt. Quamobrem hac in parte æqualitati,
quantum quidem licet, ſtudendum eſt.

§. 10. Itaque Societatem naturaliter cum quo-

vis homine, modò societati idoneus sit, contrahere licet. Pietas autem Christiana interdum prohibet ne hanc vel illam societatem, cum hoc vel illo colam⁹. Idem lex positiva nonnunquam efficit, minimum potest.

§. 11. In objecto Societatis considerandæ veniunt res, circa quas occupetur & modus, quo circa easdem versetur.

§. 12. Potest Societas de omnibus rebus iniri, modò prohibitum non sit ne appetantur, ex quarum numero est uxorum communio. Coeterum res illæ interdum sunt facta, interdum opera, interdum res in specie ita dictæ.

§. 13. Modus, quo Societas circa ejusmodi res occupetur, consistit in earundem mutua communicatione. Communicantur autem res vel debitæ vel indebitæ: illæ secundum justitiam; hæ secundum liberalitatem. Regula nanique: *Quod tibi fieri vis, alteri feceris*, hic maximè locum invenit, ut nempe beneficia & officia alteri præstemus, quæ ab eo expectamus.

§. 14. Ratio formalis societatis consistit in Conjunctione personarum & mutua obligatione ad fidem & officia Societati debita præstanda. Posita enim tali obligatione ponitur
ipsa

ipsa societas & sublatâ illâ tollitur societas. Distin-
guendum autem hic est inter ipsam obligationem
& eius actualem executionem. Hæc est effectus
societatis, illa ipsam formam constituit. *Alii autem
in Ordine, qui est inter societatis membra, eam for-
mam consistere volunt ac defendunt.*

§. 15. Finis, propter quem homines in Societa-
tes cœunt, nunc à natura, nunc à Deo, nunc ab in-
stituto humano dependet: semper autem est bo-
num quid, sive illud sit ex utilibus, sive honestis,
sive jucundis; sive sit verum, sive apparenter tantum
tale. Generalis est assertio Aristotelis *1. Pol. c. 1.*
Omnis societas boni causa constat.

§. 16. Eo modo finis societatibus præfixus com-
paratus esse solet; quomodo autem comparatus
esse debeat, alia quæstio est. Honestus semper de-
bet esse: quare si bonum jucundum tantum in so-
cietate spectetur, nunquam honesto id adversari de-
bet. Hodiernum rerum statum si consideravimus,
nulli negare possumus in plerisque Societatibus uti-
le attendi bonum, nec malè, modo bono honesto
non sit contrarium. Utilitas tamen privata publi-
cæ semper posthabenda est.

§. 17. Ut finis Societatis obtineatur quodlibet
ejus

eius membrum pro ultimo suo conatu laborare tenetur, nisi aliter conventum fuerit i. e. nisi in pactis expressè habeatur ut in tantum & non amplius quis teneri debeat. Sic in foederibus defensivis & offensivis quantitas exercitus ad bellum gerendum subministranda præscribi solet, ultra quam nemo sociorum eo casu tenetur: tenetur autem nihilominus quilibet ad quantitatem illam præstandam pro ultimis suis viribus.

§. 18. Hinc si sociorum quispiam in curando Societatis fine negligens sit cogi potest: privatus quidem à legitimo suo magistratu: qui verò personam publicam gerit vi & armis, si quidem amicis persuasionibus ad faciendum officium induci non potuerit. Quomodo autem & quando ex violata Societate bellum suscipi debeat alio forte loco dabitur pluribus dicendi occasio.

§. 19. Hoc autem ita intelligendum non est ut unum, si quidem Societatem ita conservare possit, immeritò pro omnibus mori necessum habere dixerimus. Primò enim vita non est in hominis potestate; dein societas est pro conservanda vita, Quod si ergo accidat ut innocens ab hoste petatur, dandus ille non est, verùm ab omnibus defendendus.

§. 20.

§. 20. Aliud fortè dicendum si certò constet innocenti huic & aliis quamplurimis nihilominus per eundem esse v.g, si hostis, qui innocentem petit, nobis sit potentior & viribus longè major. Eo casu consultum fore putamus, ut innocens hostium potestati sese committat utq; sic innocenti parcatur sanguini.

§. 21. Sat durum videtur mandatum, si pro salute reip. promovenda navarchis præcipiatur, ut, si aliter navis servari nequeat, pulvis pyrius incendatur, ne navis in hostium potestatem deveniat.

§. 22. Neq; etiam unus bona pro omnibus sociis & pro salute totius reip. impendere ac profunderè obstrictus est. Quod si autem accidat, ut unus socii bonis societatis commodum promoveri queat & promoveatur, reliqui id refundere solent.

§. 23. Usù haut rarò venit, ut quis non uni Societati fidem dederit illæq; societates inter se collidantur, cuinam tunc ejusmodi socius opem ferre debeat quæritur? Putant Politici (1) justioris causam esse juvandam, quoniam nemo ad injusta obligatur (2) si utriusque partis causa sit injusta neutram esse juvandam, ob rationem jam memoratam (3) si utriusque causa sit justa re utrique subveniendum esse (4) si personæ præsentia requiratur, ad illam partem accedendum, cum qua antiquior sit societas.

Grot. de I. B. ac P. l. 2. c. 15. §. 13.

B

§ 24.



§ 24. Fundamentum Societatis, vinculum continens eamque conservans est animorum conjunctio & in idem convenientia. Etenim Societas est amicitia quædam: Ubi verò amicitia; ibi animorum conjunctio & in idem consensus. Quicquid igitur illam conjunctionem & convenientiam sive consonantiam in societate factam tectam conservat negligendum non est. Inter hæc autem Sociorum æqualitas, cum quoad vires, tum quoad qualitates, facile principem locum obtinet. Viribus qui præ aliis valent plus sibi tribuere & infirmioribus molesti esse solent: qui autem qualitate sunt inferiores à nobilioribus negliguntur. Quæ omnia animorum convenientiam, omnium Societatum illam animam & spiritum, non possunt non tollere & destruere.

§ 25. Quamobrem per animorum disconvenientiam & dissensum vinculum Societatis abrum-pitur. Ejusmodi autem dissensus & dissonantia ex supra jam recensitis & aliis similibus oritur. Hæc igitur & omnia, quæ vim disjungendi animos sociorum habent, ex societate extirpanda sunt.

§. 26. Eum in finem certæ quædam leges in societate condi solent, cujus rei egregium exemplum nobis præbet nunquam satis celebranda lex de victu & amictu Nobilium Reip. Venetæ.

§. 27.

§. 27. Cùm autem leges, propriè quidem ita dictæ, à superiori dependeant, non omnium societatum leges, vulgò ita dictæ, nomen legum propriè dictarum merebuntur, sed quædam tantùm pacta conventa sunt, quæ nihilominus vim legum habent. Si verò illa pacta conventa à superiori confirmantur fiunt leges propriè ita dictæ.

§. 28. Ob eandem causam nec omnium societatum judicia propriè talia sunt, nisi ab auctoritate superiorum quædam confirmata fuerint. Eadem ratio est poenarum, quas socii socii infligere solent.

§. 29. Societas si merè personalis fuerit mortui non finitur: neque tenetur successor personalis antecessoris Societatem amplecti, In Societate autem reali & ratione bonorum inita potest interdum antecessor successorem ad continuandam societatem obligare.

§. 30. Præterea quædam Societates mutuo Sociorum consensus seu potius dissensu, finiuntur; quædam autem, etiamsi omnes Socii velint, dissensu tolli plane non possunt.

§. 31. Societatum variæ sunt differentiæ & species. Aliæ enim sunt perfectæ, aliæ minus perfectæ, quatenus nimirum perfectius vel imperfectius bonum per Societatem obtinetur. Nulla autem Societas

tas simpliciter perfecta est, ob miserrimum omnium hominum statum perfecto bono in hac vita obtinendo nullatenus sufficientem. Quæ igitur societates perfectæ appellantur respectum habent ad alias Societates, quas perfectiori bono acquirendo superant.

§. 32. Aliæ porro sunt simplices seu primæ quæ immediatè ex personis constant: aliæ sunt à natura; aliæ ab instituto humano. Aliæ sacræ, quæ finem sanctum: aliæ civiles, quæ profanum quoddam bonum intendunt.


§. 33. Quoniam verò resp. ex privatorum Societatibus facile damnum percipere potest, hinc ad validitatem Societatum privatarum auctoritas pub. vel expressa vel tacita accedere debet. Ob eandem hanc causam in approbandis & confirmandis privatorum Societatibus consilio & prudentia exacta opus est.


§. 34. Opponitur Societati vita solitaria, qua de pronunciatum: *Qui in vita Solitaria felicitatem querit, aut Deus est, ut nulla re egeat, aut lapsus, ut nihil intelligat.* Non autem omnis vita solitaria improbanda est, imprimis eorum, qui priscis temporibus & flagrante persecutionum igne societates fugiebant. Etenim eo rerum statu, ubi bonum cœleste & summum ob vehementissimos cruciatus facile perdi poterat, bono Societatum carere præstabat. Cessante autem illa ratione stultum est bono terreno à Deo concesso unà cum cœlesti frui nolle. Faxit

Deus ut utriusque participes
reddamur.









109

SES POLITICAE
DE
**SOCIETATE
GENERALE**

Quas
ijus Facultatis Philo-
cæ benevolo indultu

Die April.
O PHILOSOPHORUM
AUDITORIO

aminandas proponent

PRÆSES
LUS BERGMAN

T 160

Et
RESPONDENS
FRIDERICH GÖTZE
neimia-Calenbergicus.

HELMESTADI,
OLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXVI.

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue